B. N. C.
FIRENZE
1148
28

1148. 27

1148
23

c.

25

IX
BELL.

Ex legato D. Equitis Antonii Fran.ci
Marmi

LM.5.

ANDREAE BELLAVITI

Theologi, & Canonici Pisani, & in Patrio celeberrimo Gymnasio profitentis.

ORATIO

HABITA IN EODEM GYMNASIO pro exordio studiorum

AD ILLVSTRISSIMVM, ET ECCELLENTISSIMVM COSMVM Medicem Magnum Hetruriæ Principem.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIAE,

Apud Cosmum Iuntam M. D. C. III.

Superiorum permissu.

Concedimus licentiam imprimendi hanc elegantissimam Orationem Eccell. D. Andreæ Bellauiti Theologi, & Canonici Pisani, accedente consensu admodum R. P. Inquisitoris, & alijs setuatis seruandis die xviij. Ianuarij 1603.

Cosimus Antellensis Vic. Gen. Florentinus.

Imprimatur F. Matthęus de Sanmattheis a Costacciario, Vic. Sanctę Inquisitionis Flor.

Baccius Valorius Senator.

ILLVSTRISSIMO ET ECCELLENTISS. COSMO MEDICI

Magno Hetruriæ Principi.

Andreas Bellauitus Pisanus S. P. D.

NObilissimas hominum potentiorum ædes, Illus. & Eccell. Princeps; Solis mensam opimam, & pulcherrimam esse existimauit antiquitas; quoniam illorum clarissima auctoritate splendescerent omnes studiorum optimi conatus. Cum enim sol idem sit, & Apollo Musarum præfectus, & studiorum preses illius epulæ censebantur conquisitissime, quotiescunque principum magno patrocinio virtutum exercitationes, artes, atque scientiæ fouerentur. Quod ego in me ipso plures iam annos fœlici euentu experiri potui. Nam vbi primùm ad tuas augustissimas ædes patuit aditus, & præcipua ope diuturnum ingenuarum disciplinarum meum studium inci-

tatum & inflammatum eſt, & in celeberrima Piſana Accademia ad logicem paſsim, deinde ad naturalem atque diuinam Philoſophiam interpretandi munus delectus ſum. In quo perfungendo id ſemper mihi potiſsimum ante oculos poſui, vt meæ ſingularis obſeruantię, gratiq; animi, ac deditiſsimi tuæ inuictiſsimę familię ſigna oſtenderem. Quare cum nutu Sereniſsimi Patris tui orationem habuerim in eadem Accademia Kalendis Nouembris pro ſtudiorum auſpicijs, decreui illam tuo ſplendidiſſimo, ac regali nomini dicare. Et hoc munere licet tenuiſsimo inſtar Delphicæ Sibyllæ te meum orientem Solem venerari. Confiſus quæ tua regia benignitas eſt, & quod omnis egregij, ac prope diuini Paterni, auitiq; boni inſigne adhuc in tenera ętate ſpecimen dediſti, fore, vt illud non repudies; immò etiam radijs tuę Clariſsimæ lucis contra obſcuram inuidorum caliginem illuſtres. Quod ſi contigerit, alacer, & tutus, quippe tuo ſplendore concitus, vberiora perficere aggrediar. Vale Piſis Quintus Idus Nouembris M.D.C.II.

ANDREÆ BELLAVITI

THEOLOGI, ET CANONICI PISANI

ORATIO HABITA IN PATRIO GYMNASIO

NIHIL uberius (Illustrissimi Præsides, Doctores toto orbe terrarum celeberrimi, & vos qui sub fida, liberaliq; Musarum custodia hic adestis Iuuenes nobilissimi) nihil Florentius, nihil ad Rempub. stabiliendam augendamq; magis accomodatum quam omnem diligentiam adhibere, omnesq; suos neruos in communem ciuium salutem contendere. hoc enim eximio, & singulari studio compo-

sitæ

ſtæ inimicitiæ conſeruati ciues, optimæq; leges inſtitutæ. Hoc mirifico, ac propè diuino opere cumulatæ opes, expugnatæ regna, habiti triumphi, & imperia dilatata. Vrbem Athenienſium iam ferè ad perniciem lapſam Codrus fideliſsimus Rex voluntaria morte in priſtinam dignitatem reſtituit. Curtius pro dulciſsima Romanorum ciuium incolumitate libens in voraginem ſe proiecit. Attilius Regulus maluit Punicis certiſsimas expandere pœnas, quam Patriam in diſcrimen adducere. Natura vtilitatum prouida, et opportunitatum conſultrix animantia omnia, atque hominem ipſum ita fabrefecit, vt vnaquæq; pars non ſibimetipſi duntaxat: ſed ſingulis alijs, ac vniuerſo corpori inſeruiret. Ignis omnibus rebus vitalem impertit calorem. Aer ſpiritu ductus alit, et ſubſtentat animãtes. Aqua recreat arbuſta, agros lætificat, & terrea omnia, ſicuti membra, & partes ſuas nutricatur, & continet. Terra ex cœli conubio fœcunda fruges parit, & veluti mater plena pietatis conſentanea cunctis nutrimenta ſuppeditat. His rerum primordijs locus ille

aptus

uptus est assignatus, vnde recipiant syderum influentem virtutem, & quæ inter ipsa vniusmodi qualitas intercedit, continuam sibi inuicē opem ferant: Corpora cœlestia ab intelligentijs certa rotatione cientur, vt summæ, ac Beatissimæ similitudinem gerant, cuius diuina prouidentia omnium perpetua salus à quocunq; periculo conseruatur: Quamobrem antiqui illos delubris, simulacrisq; cohonestandos non immeritò putauerunt, qui arte operosa, et incredibili industria mortales immortali beneficio deuinxissent. Atlas, quoniam stellarum ordinem, figuram, ac totius cœli cursum hominibus indicauit, Deorum meruit honores. AEolus in Numen relatus, quòd ventorum originem, prælia, pacemq; significauit, vnde nauigandi perutilis formula profecta. Doxius, qui ab hirundinum nidis deprompto exemplo lutearum ædium inuentor fuit, cœlestibus ascriptus est. Gratiarum inclyta templa in foro condita fuere, vt neminem lateret beneficia singulis conferenda, omniumq; interesse de alijs optimè promereri. Hinc maximi Reges, quorum omnes curæ, & cogitationes

fue-

fuerunt, vt sua tranquilla Regna honestis delitijs, & ciues innumerabilibus bonis amplificarentur, literatissimos homines summis præmijs, & præcipuo amore prosecuti sunt. Crœsius lydorum Rex opulentissimus studio ciuilis sapientiæ Anacharsim vnicè dilexit, ac pleno ore laudauit; quo feris, barbarisq; nationibus, quibus imperabat, optimam vitæ rationem traderet. Hippocrates medicorum princeps Artaxerxi gratissimus fuit, vt Persas diuturno, ac desperato morbo laborantes ad integram, firmamq; valetudinem reduceret. Dionysius Siracusanus, quasi magnis, & veteribus officijs deuinctus maximi fecit diuinum Platonem, eiusq; singulari fidei omnia sua etiam grauissima consilia credidit. Aristotelem eo cultu dignatus est Alexander Macedonum, vt vulgò Regis clarissimus Pater appellaretur. Ptolemæus Philadelphus maiora aggressus viros literis, doctrinisq; deditos assidua solicitudine accersiuit, omniumq; illustrium auctorum commentarios in insignem bibliothecam congessit. Omnes quidem ij vera laude digni sunt. Sed immorta-

li

li gloria illos cumulatos cum quadam admiratione existimo, qui non modo vita superstite hunc, & alterum hominem eruditissimum, & lectissimas doctorum lucubrationes diligenter exquisierunt: sed publicas scolas erexere, erectasq; regijs opulentiùs auxerunt; quarum fructibus viri omni scientiarum genere instructi semper fouerentur, vt illorum opera, & exemplo iuuenes optimè instituti ad capessendas politiores literas, & ingenuas disciplinas omnem sensum, ac mentem intenderent. Quod quidem magnificum opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longè maximum Mediceæ familiæ peculiare, ac proprium semper fuit. Cosmus senior munificentissimus omnium omnis virtutis æstimator fuit, qua vna re ciues superauit, æquauit reges, & sibi certum ad peremnem laudis famam itèr strauit. Laurentius omnium Mœcenas, & vbiq; perillustri sapientiæ opinione non in patria modò, sed in vniuersa Italia cuncta propè belli, ac pacis consilia togatus, & inermis felicissimè rexit. Leo decimus, & Clemens septimus Pontifices maximi studiosos Apo-

ſtolicæ doctrinæ Apoſtolico purpuratorum Senatui donarunt. Coſmus primus Hetruſci Regni antiquiſsimo diademate inſignitus non ſolum quæ in microcoſmo ſplendeſcunt eximiæ virtutes: ſed quæ magno Coſmo digna diligenter, & artè complexus nihil vnquam antiquius habuit, quam diſertiſsimos homines ſplendore, & gloria, iam verò etiam attalicis conditionibus ornare. Franciſcum patri ſimillimū præclarorum hominum illud ſemper deſiderium tenuit, vt terra, marique officioſo labore conquiſitos in hunc locum ad erudiendam iuuentutem ampliſſimo profuſis ſumptibus, conuocaret. Ferdinandus Tertius heroicæ ſcholis firmiſſima columna in quo cum maxima hereditate, atque florentiſſimo Regno omnium maiorum glorioſa conſilia, & honeſtiſſima bona clariſſimè ſplendent, hoc curauit in primis, hoc illi ſemper hæſit in præcordijs, vt omnia ſuæ dictionis loca, & præſertim Almum Gymnaſium Piſanum eorum hominum fœcundiſſimum eſſet, qui cæteris doctrina, & ingenio adeo excellant, vt vbiq; quod eſt illorū ſingulare diſputandi acumen,

&

et rara docendi methodus veluti ex ſapientiſſimo philoſophantium AEgyptiorum collegio olim ſacerdotes, & Reges ex Piſana Accademia doctiſſimi nunc prodire cognoſcantur. Intelligit enim prudentiſſimus Princeps, quanti Reipub. interſit firmiſſimis viribus ingenij huiuſmodi virorum, vires totius imperij firmiſſimè inniti. Nulla ſiquidem gubernandi ratio, ſine iuris prudentia: Anguſtiſſima, ſuboſcura, & tortuoſa ſemita conſeruandi hominum ſanitatem, vbi ars medica praſtò non ſit Inanis belli gerendi institutio, ſi Mathematicæ diſciplinæ ignorentur. Sublata eloquentia, nullus modus flectendi animos quo velis: & vnde velis deducendi. Perditi hominum mores, & abdita naturæ arcana, ſi philoſophia proſtrata iaceat. Latent Sanctiſſimæ Religionis omnes optimi ritus, niſi Sacra Theologia tota cœleſti candore ſplendeſcat. Iuris prudentia eſt anima ciuitatis. Hæc latrocinia, fraudem, & vim arcet, hominum audaciam coercet, infeſta ſceleſtorum iacula proſternit, furentem in arma populum frenat. Honeſtatem, pudo-

rem, fidemque seruat, recta consilia probat, publica bona decernit, & non secus, ac totius terræ perspicua salus omnia loca defendit. Qua de re Plato cunctas disciplinas à Prometheo hominum scilicet diligentia, & labore adinuentas fuisse opinatur. Iuris autem cognitionem à Ioue summo emanasse affirmat. Medicina verò ciuitati, & vniuerso hominum cœtui fructus affert vberrimos: ipsa enim admirabilem hominis fabricam, & naturam explicat. Quomodo ex elementis orta, & qualem ex ipsorum mixtione consequta temperiem, & causas, quæ ipsam tuentur, quæq; eandem destruunt, ac demoliuntur ob oculos ponit. Quapropter cum medicus ad omnem ordinem, ad omnem sexum, ad omnemque ætatem pertineat è cœlo Apollo, AEsculapiusuè, aut alius Deus ad nos delapsus esse videtur, qui omnes morbos longè depellat, valetudinem sedulò custodiat, ac veluti Deucalion alter, & Pyrrha ex Orci pallidis faucibus homines ad vitam reuocare conatur. Mathematicis disciplinis quid Reipub. vtilius? quid iucundius? Hippo-

cratis

cratis studium sine Astronomiæ præsidio Medicis nihil, aut parum proderit: Ipsa enim syderum motus, solis anfractos aditus, reditusq;, & Lunæ labores; vnde tota dierum, quos criticos vocant, ratio petitur, diligenter exquirit. Agricola nullum opportuno tempore sine huius adminiculo proficiet opus. Nautis verò non modò longinquas petere regiones, aut nouum orbem lustrare: sed nec etiam vela dare licebit. Mercatura, cuius exercitatione ob innumera commoda per multi delectantur, absq; Arithmetica tractari non potest. Pictoris, Architecti, & Scultoris nullum elegans nullum artificiosum, nullumq; elaboratum sinè Optica opificium extabit. Ars militaris, quæ à pluribus censetur Reipub. dextera manus, qua ratione ad recipiendum commeatum, ad intercludendos hostes, & ad bellum gerendum loca commodiora occupabit, vbi peritissimus Geographus non intersit? Imperator quonam modo exercitum diutissima conquisitione collectum in quadrangularem, triangularem, vel aliam figuram ordine dispensabit, & iudicio disponet negle-

cta

cta Geometria? Quis hostium vrbes, turres, & propugnacula metietur, aggeres, machinas, ac reliqua instrumenta bellica non stereometra moliri tentabit? Hæc semel atque iterum, ac sæpius Themistocles, Epaminundas, Annibal, Fabius Maximus, Marcus Marcellus, Iulius Cæsar, & alij quamplurimi varijs in locis re ipsa experti fuerunt. Nisi vererer, ne me dies deficeret, nunc vobis demonstrarem aptißimis argumentis Musicam Arithmeticæ suauißimam propaginem, quæ ad luxum solummodo adinuenta existimatur, maximum Reip. emolumentum afferre. Lacedæmonios à Messenijs iam ferè victos Tirtæus peregregius tibicen mutatis tibiæ modulis adeò ad pugnam excitauit; vt apud ipsos victoriæ comes gloria remaneret. Caius Gracchus sæpe numero populum Romanum in suam sententiam perduxit, vbi concionanti sibi seruus fistula affectus orationis longè praecellentes redderet. Eloquentia vsque eò frugifera, & fructuosa est, vt nulla facultas vberior ab hominibus adinueniri poßit. Hæc regit populum, tuetur bonos laudat cla-

ros

ros viros, hortatur ad decus, reuocat à flagitio, consolatur afflictos facta, & consulta fortium, & sapientum commendat. Vt enim fabulati sunt poetæ Orpheum suauiter modulantem lapides, flumina, & virgulta collegisse, sic credendum initio genus humanum in montibus, & sylvis dißipatum disertorum oratione delinitum se oppidis, ac manibus sepsiße Dux ille Greciæ nunquam optat, vt Aiacis similes decem habeat, sed vt Nestoris, quòd si acciderit, non dubitat, quin Troia breuì sit peritura, Pyrrhus Epirotarum rex plures à Cynea Thessalo vrbes eloquentia in potestatem suam redactas, quam à se armis superatas gloriatur. Eloquentiæ, si coniuncta fuerit Dialectica securitatem suauitas complexa est. Rhetorica namq; sine Dialectica imbellis, hæc sine eloquentia rudis omnino, & elinquis. Dialectica argumentorum valida serie hominum mentem huc, & illuc impellit, ac denique in sua vota trahit, & tanquam Proteus alter potis est in ipsa varias formas inducere. Dialectica ea est, quæ ad omnium scientiarum principia aditum patefacit,

cun-

cunctis facultatibus in quouis expendendo problemate obsequium præstat, cauillos sophistarum eneruat, ac radicitus extirpat. Feroces profectò sunt scientiæ, & artes, vt tamen perfectæ reddantur, ac suis numeris absolutæ ex Analyticorum officina mutuanda sunt instrumenta ad inueniendum prompta, ad ordinandum accomodata, ad explicandum apta, ad confirmandum, & infirmandum parata. His machinis Analyticus res in visceribus naturæ abditas extrahit, & in lucem profert; veritatem in profundo iacentem erigit, & cum Perseo, & Bellerophonte impetrato à Minerua auxilio equi Pegasei, definitione nimirum, & demonstratione, cæterisq; veris sciendi modis Chimeram, chimerias scilicet opiniones varias, & fictas arcet compedibus, & manicis ferreis deuinctas Tartaro relegat. Omnia itaq; rectissima studia publico totius Orbis concilio commoda innumera parant, nullum tamen idoneum ad perfectam fœlicitatem consequendam, quæ est omnium vltimus finis Icari si quidem inanem conatum, & Titanum nefarios impetus auderet

ret

ret, qui penetralia Dei Opt. Max. in quo omnis beatitudo sita est, solo humanarum scientiarum leui subsidio adire non dubitaret. Illi mehercle beatißimam vitam viuent, qui rerum notitia praediti Orthodoxae fidei pennis erecti Sacrae Theologiae armis fulti, omni cura, quae illorum charitas est, singulis prodesse student, ac praepotentem omnium opificem religiosè colere, & sanctè deprecari. Hoc illi optimè cognouerunt, quorum syncerae fidei animae nostrae charißima salus commissa est. Nam veri casti, & inuiolati vates diuini Numinis afflatu conciti immensam purißimae, ac simplicißimae, Essentiae Maiestatem attento animo intuentur. Admirabile vndiq; absolutum, & expletum totius Mundi opus solo Verbo à summo Auctore creatum diligentißimè contemplantur. Iucundam, inauditamq; Iesu Christi clementiam laudibus immortalibus efferunt, quod sub humana specie immane nostrum expiare nefas dirae mortis miserrimo supplicio non abhorruit. Eaq; nobis in sacramentorum cõmunicatione remedia salubberrima comparauit, quo-

rum inexplicabili gratia datū est animæ sanitatem tueri & perditam recuperare, & in cœlis cum ipso rerum omnium imperio potiri. Hanc cœlestem sapientiam Exther venustissima Regina Assuerum coniugem alloquutura mirificè expressit: ipsam etenim fulgentibus lapillis, preciosis gemmis, purpureisq; vestibus ornatam permultæ comitabantur ancillæ; septem vero illustriores præcedebant, quarum postrema humeris regia cum dignitate innitebatur. Quod sacrosancta Theologia magnificentissimo cœlitum munere pulcherrima, licet humana non indigeat ope, omnium tamen rerum ornatu gaudet, & scientiarum lepido obsequio insignis solius veræ Philosophiæ, quæ sibi non refragatur certissimis principijs adhæreat. Quoniam Philosophus, quæ ad nostram vitam ritè instituendam ad curam rei famialiaris, & publicæ gerendam spectant, luculenter exponit. Ipse naturalium rerum multiformes effectus cærulea templa cœli perpetuas elementorum vicissitudines, ignis portentosa phasmata, aeris humidas impressiones, frequentes marinos æstus, ter-

ræ

ræ horribiles motus, auri occultas venas, stirpium varias species, animantium diuersa genera, animi reconditas virtutes, ac vniuersæ naturæ intima, & retrusa arcana dilucide explicat. Philosophus cœlorum numerum cœlestium corporum virtutes motrices, atque ipsum primum motorem, vt nobis patefaciat, vel saltem quoquomodo indicet, vehementer laborat. Ex quibus probabilia argumenta, similitudines, & exempla praclarè vsurpat Sacra Theologia contra perduelles catholicæ fidei, ad illorum impia dogmata conuellenda, & præcipuè, vt inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. His honestißimis artibus animaduertens Ferdinandus inuictißimus Princeps ciuibus datum esse suauißimam vitam ducere, & incorruptam, æternamq; beatitudinem sibi comparare, vt ipse altissimo est animo, & publicæ salutis percupido in obeundo studiorum negocio Carolum Antonium Puteum Antistitem Pisanum, quo nec iuris, nec cæterarum rerum humanarum, atque

diuinarum prudentior alter, & Ioannem Baptistam Concinium, & Capponem Capponium viros praestantissimos in consilium adhibet, vt in omni facultate lectissimi, & grauissimi viri hic foueantur, summisq; honoribus complectantur, quorum ope (Iuuenes nobilissimi) ad omnes scientias percipiendas vobis aditus latissime pateat. Reliquum modo illud est, vt omem vestram operam, atque diligentiam studijs literarum adhibeatis. Hac omni cura prosequamini, ad hac toto pectore incumbatis. Ipsa siquidem adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis refugium, & solatium prabent delectant domi, & non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, & rusticantur. Et quid praclarius? quam qua re homines bestijs praestant, ea in re hominibus antecellere. Sola virtus altissimis est defixa radicibus sola haret in cubo, ad Iouem cominus accedit, & fulmina non timet, quin potius cum ipso ad totius mundi clauum gloriosa residet. Caetera omnia incerta, falsa, caduca: & contrarijs fortuna ictibus circum-

aguntur.

aguntur Aemilius in ipso die triumphi repentinæ mortis filiorum dolore conficitur. Pompeius Magnus nunc terræ, marisque dominus, paulò post capite truncatur. Cæsar in amplißimo senatorum subsellio interficitur, vt optimè cecinit Euripides sicuti cauponem vinis austera falernis, ita Iouem dulce nectar absinthio miscere mortalibus. Sublime Olympi fastigium quietum esse affirmant, quod eminentius sit, quam vt eò sæuorum turbinum vis, atque ventorum perueniat. Virtus altior est, atque excelsior, quam vt furentis fortunæ aduersa procella labefactari poßit. Sapienter poetæ, cum dixerint sub Veneris imperio, atque ditione cæteros omnes Deos esse: in Mineruam, & in studiorum præsides musas nihil ei iuris, nihilq́; potestatis vnquam permiserunt. Quoniam nobilium disciplinarum studijs addicti acerrima digladiantium inter se flagitiorum spicula facilè euadunt. Priscis temporibus sepulchra, statuæ cæteraq́; insignium virorum clara trophea accuratißima diligentia custodiebantur, vt iuuenes rerum viriliter, & fortißimè gestarum

rum

rum memoria excitarentur ad gloriam. Alexander viso Achillis sepulchro ingemuit. Iulium Cæsarem considerata Alexandri effigie in Herculis templo segnioris anteactæ vitæ pœnituit. Extant hic Iuuenes solertißimi supremi ædificatoris liberalißima manu extructa, & hominum acutißimo ingenio limata, & polita amplißima monumenta. Adsunt etenim Doctores post homines natos spectatißimi, omniumq; artium peritißimi, qui non simillima membrorum conformatione artificiosis pigmentis delineata, aut ex Mygdonio marmore exculpta antiquos scientiarum proceres ad vnguem nobis referunt. Sed germana morum, doctrinæ, animiq; effigie Solonem, Hippocratem, Euclidem, Demosthenem, Aristotelem, aliosq; huiusmodi heroes perfectißimos æmulari, ac longe excellere sedulò, & enixè laborant. Hi non modo statuis æneis, aureisuè digni sunt: sed gloria sempiterna dignißimi. Horum studio, industria, & labore vester leuabitur labor, aletur industria, & studia fouebuntur. In ipsorum vestigijs pedem ponite. Singu-

larem

larem, ac penè admirabilem illorum sapientiam veluti oracula Delphici Apollinis quotidiana obseruantia colite. Ipsi namq; ingenio summo, summa prudentia, summaq; autoritate ad solidam laudem, & virentibus omnium virtutum ramis ad ipsosmet elysios campos vobis strenui Duces erunt. Omnibus enim qui pro eximio, ac proprio splendore, & communi hominum salute pericula, & labores susceperint, certus est in cœlo, & definitus locus. Quod me potissimum induxit, quin etiam incendit, & impulit, vt apud uos hoc mane de cognitionis præstantia, & scientiarum suauitate verba facerem; quamuis nec eloquens natura, nec in dicendo exercitatus. Nihil etenim mihi gratius, nihil iucundius, nihilq; augustius contingere potest, quam dū Serenissimo Principi morem gero, de omnibus optimè promereri.

FINIS.

2

99 962320

1148.28

D.

1148.28